

D. T. O. M. A. Dq;

*DISPUTATIO PHYSICA*

*De*

**ELEMENTORUM  
NATURA IN  
GENERE.**

*Quam*

*Sub moderamine*

*Clarissimi atq; Excellentissimi Viri*

**M. G E O R G I I A L A N I,**  
Phys. & Botan. Profess. Ordin. celeberrimi; Facult,  
Philosophicæ p.t. Decani, Fautoris & Præ-  
ceptoris jugiter colendi.

*In Regiâ Acad. Aboënsi, liberalis exercitii ergo,  
placidæ submittit censuræ*

**E R I C U S P. K E T A R E N I U S.**  
*S. R. M. Stipend. Abogiâ—Finlandus.*

*In Auditorio Superiori horis matutinis  
ad d. 30. Martii.*

•306•

A B O È,

---

*Excudebat Petrus Wald Acad. Typogr. 1644.*

Admodum Reverendo in Christo Patri  
**M. ISAACO ROTH-**  
**VIO**, Diœceseos Aboënsis Episcopo dignissi-  
mo, Consistorii Præsidi eminentissimo, nec non  
Academiæ Pro-Cancellario amplissimo,  
Mecœnati ætatem honorando.

Ue E.

V I R I S:

*MAGNIFICO, REVERENDIS, CON-*  
*sultissimo, Clarissimis atq; Excellentissimis*  
*Dn. PROFESSORIBUS omnium Fa-*  
*cultatum in dictâ Academiâ Patriâ Celeberrimis,*  
*Præceptoribus, Promotoribus & Fautoribus*  
*Summo honoris cultu semper prosequendis*

*Dissertatiunculam hanc qualemcumq; in debitæ*  
*gratitudinis & observantiae TEKMHPION*  
*summisè*

*reverentèr*

*perofficiose*  
*inscribit & offert*

E. K. A.

D. T. O. M. A. Dq;  
*DISPUTATIONIS PHYSICÆ*

*Thesis I.*

**D**icas tantum, easq; primarias (ceu receptacula omnium corporum naturalium, quibus totus iste Mundus constat) generatim loquendo, Universi hujus Regiones esse patet; unam videlicet *Aetheream & Cælestem*; alteram v. à Philosophiæ naturalis Scientiâ solidè imbutis, *Elementarem* sive sublunarem dictam. In illâ enim ob situm, ut superiori & puriori, ita nobiliori ordinariè corpora constantia, unoq; sese modo, citra mutationem aliquam, habentia, posita sunt: In hac ob materiæ impuritatem, assiduamq; qualitatum pugnam, inferiore, præter elementa, quæ corruptionis sunt expertia, corpora corruptibilia, quotidianæ ferè mutationi, nascendi per eundiq; vicib⁹ obnoxia consistunt, quæ vulgo mixta appellantur.

*II.*

Elementorum' verò consideratio à Physicis indigitari communitè solet vel *Generalis*, quoad naturam, causas, numerum & situm in communis; vel *Specialis*, de unoquoq; Elemento, ejusq; virtute & affectionibus. Omisâ hac eorum consideratione; Illam pro insituti ratione, non quidem singula, quæ circa hanc materiam adferri possent persequendo, impræsentiarum sub incudem disputationis revocare est animus.

### III.

Secundum quam, duplē considerandi vicissim, modum, ob munus & officium suum duplex, idq; universale, quod in hoc Universo obeunt, admittunt elementa, videlicet unum *Absolutum*, quo secundum se considerantur, & in sua natura ut corpora naturalia sine ullo mistorum respectu; eumq; manifestum est Aristotelem absolvisse in libris de cœlo, ubi Elementa tanquam species corporis naturalis habent locum subjecti. Alterum respectivum sive relativum, prout sunt materia mistorum; quā ratione tractantur ab Aristotele in libris de generatione, proinde non ut subjectum, sed ut principia subjecti.

### IV.

Misso igitur altero eorum munere (quod alias respectivum sortitur considerandi modum, quatenus ex naturæ præscripto, mistis non tantummodo sunt nutrimento, verum etiam ipsis materiam præbent) absolutè in sua essentia, sine relatione aliqua ad mista corpora, eadem considerare est animus. Id ut commodius fiat, & nè instar torrentis feratur disquisitio præsens; quæ circa hanc materiam pro ingenii Minervâ proponere constitui, certis quibusdam cancellis circumsepta funto; *Definitione* nimirum Elementorum tam nominali quam Reali, nec non eorundem causis cum internis tum externis, affectionibus sive Proprietatibus.

### V.

Ut definitio *nominalis* ONOMATOLOGIAN vocis aliquuj exponens vulgo tria includit; ita hic ponderamus, I. *Etymologiam* sive vocis originem, quam pleriq; authores derivant ab alimento, mutata vocali a in e: quia mista non solummodo ex iis, velut principiis materialibus, conflata sunt: verum etiam indies nutriuntur, cum partes absument & repa-

reparantur, inq; illarum locum simile quid corpori veniat,  
necessè est.

VI.

II. *Homonymiam.* Nè vocis hujus æquivocatione  
decepti, aliena ab instituto persequi videamur, cum illa sit  
(ut constat) errorum genitrix semper: variæ ejusdem signifi-  
cationes recensentur, ut passim apud authores videre est; il-  
las tamen ad duas præcipue non incommodè redigi possunt  
putamus, videlicet *Latam & Generalem*, quâ vox elementi  
accipi solet pro quounque quod in suo genere primum.  
est, & aliud prius se in eodem non habet. Sic co[n]unitè pun-  
ctum lineæ, præcepta & rudimenta artium quarumlibet prima, nec  
non communissima corporum naturalium principia, utpote materia  
& forma: ut & demum quicquid secundum ordinem ali-  
quem aliquid componit, ut *literæ, lapides, ligna, &c.* Elementa  
dicuntur. Deinde *Strictam*, in quantum elementum con-  
tradistinguitur cœlo (quod primum Elementum ob digni-  
tatem & situm, ad Mundi constitutionem concurrens; ut  
& quintum respectu reliquorum appellari consuevit) ut sit  
corpus sublunare simplex. Hanc itaq; posteriorem significationem,  
instituto nostro consonam agnoscimus.

VII.

III. *Synonymiam.* Vox elementi, et si nullam habeat  
Latinam æquivalentem, præter principia materialia pro-  
pinqua mistorum exprimâ impositione, tamen Græcam  
videlicet *STOICHEION*, à prim. *STEICHO*, ordine fio,  
procedo, vado ut notant Lexicographi: nec inconvenien-  
tè, quia ex illis singula fiunt mista, non confusè, sed ordins  
& proportione convenienti.

VIII.

Voces hæ, *Elementum & STOICHEION* si inter se co-  
ferantur, Græcam statuimus (salvo aliorum judicio) Lat-  
inam.

nā convenientiorem & significantiorem: q̄ppe illa à duobus elementorum muneribus petita; hæc verò ab uno tantum, quatenus compositis cedunt in alimentum. Intērim vocem Latinam nullatenus rejiciendam, sed potius ob usum ejusdem retinendam asserimus<sup>7</sup>.

## IX.

ONOMATOLOGIAN immediatè excipit ipsa P R A G M A T O L O G I A sive enodatio realis, quam elementa non tantum unicam, sed pro alia atq; alia illorum consideratione, duplē agnoscunt. Itaq; talem subjungemus definitionem, quod elemēta sint Corpora simplicia homogenea, à Deo creata, quæ in mundi hujus sublunari regione certa occupant spacia, ut in illis per qualitates motrices consistant, & universi hujus machinam absolvant.

## X.

Definitio hæc realis in *Genus & Differentiam* resolvitur, proinde per partes explicanda. 1. Quoad *Genus*, quod posuimus *Corpus* idque *Simplex*, quia licet materiā & formā constent elementa, omnis tamen mistionis expertia sunt. *Simplicia* ergò dicuntur non respectu cœli, neque ratione materiæ & formæ, sed respectu mixtorum, quoniam ex elementis omnia mista constan<sup>8</sup>.

## XI.

2. Quoad *Differentiam*, à tribus potissimum desumptam. 1. ab *Homogeneitate*, ut ita cum Scholasticis loqui liceat: Elementa n. sicut ex diversis speciebus facta non sunt: ita nec in res diversarum specierum dividi possunt, atq; idcirco prorsus simplicis & homogeneæ naturæ sunt, undè quælibet pars Aquæ est & dici tur aqua, quod & de cœteris verum. 2. à *Loco*, cum collocata sint in mundi huj<sup>9</sup> sub-

*Sub lunaris Regione inferiore, certa occupando spacia. 3. à  
Causis Externis, de quibus mox paulò fusiū sumus acturi.*

## XII.

Definitione declaratā consequens est, ut *Causas Ele-  
mentorum* attingamus & explicemus, quas ut cœterae à  
DEo res creatæ omnes ita & elementa agnoscunt, *I. Effi-  
cientem*, ipsum DEum Universi hujus Architectum, à quo o-  
mnia, & ad quem omnia. XIII.

*II. Materialē.* Illam elementis, ex naturæ præ-  
scripto ipsis convenientem, rudis illa massa & informis, ex  
nihilo condita, suppeditat. Est autem ista quam Elementis  
tribuumus simplex & pura materia, cuius essentiam nul-  
la ingreditur forma, quæq; indifferenter se habet ad quod-  
libet elementum: ex quâ etiam cum formâ substanciali  
hoc omneque corpus simplex primò conflatum est.

## XIV.

Dari autem in Elementis materiam hoc probari pot-  
est discursu: *Omne compositum Physicū ex formâ & aliquo subiecto  
coalescit, alioquin non esset compositum Physicum. At Elementa sunt  
composita Physica. E. non tantum ex forma, sed & formæ sub-  
iecto sive materia componuntur & coalescunt.*

## XV.

*III. Formalem.* Hac elementa reverà informari, ut  
certum est, ita eadem in hac naturæ imbecillitate perfectè  
& sufficientè explicari neqt. Fatendum n. formas rerum  
substancialis nos latere, quo minus exquisitam de illis co-  
gnitionem habere possimus, præter formam hominis es-  
tentialem, peculiari DEI gratia revelatam.

## XVI.

Formam elementi dari patet *Primò ex operationibus,  
quas ab aliquâ formâ substanciali provenire necessum est,  
quip-*

quippe illa principium activum; deinde ex *Unione Materiæ & formæ*. Formam autem elementi cuiuslibet hic statuimus esse, non ipsas qualitates primas, quocunq; modo consideratas: cum sensu percipientur. *Diversus enim considerandi modus rei essentiam non variat, nec accidentia essentialiter constituere possunt ullum corpus*: Sed actum quendam specificum, elementorum essentiam uñā cum materia intrinsecè constituentem, primam affectionum & operationum causam..

XVII.

*IV. Finalem.*. Finis Elementorum, pro instituti ratione consideratorum, est una cum cœlo mundum perficere & integrare, certis in eodem spaciis consistendo. *Tantum de causis, sequuntur affectiones paucis perpende, quæcumque erit.*

XVIII.

*I. Motus.* De quo sequentia quatuor veniunt consideranda. 1. Hanc affectionem primum obtinere locum, propter munus suum, quod prius exequuntur elementa, quatenus ad certa in mundo loca feruntur, inq, iis natura-liter quiescunt, *ut notat Medicorum experientiæ. D.D. Senn. in E. S. N. l. 2. c. 3. de Elem: p. m. 220.* 2. Motum competere ipsis simplicem, eundemq; rectum vel à Medio sive centro, vel ad centrum, *afferente Philos. lib. de cœlo c. 1. Text 8. § 9.* Nam corporis simplicis simplex est motus, cumque uniuscuiq; corporis simplicis unus sit motus ei competens secundum naturam, *lib. 3. de cœlo, c. 2. text. 18. seqq. lib. 2. de generat. & corrupt. c. 3. text. 22. & 23.* Quod ipsum experientia abundè sat- tis attestatur. 3. Causam efficientem proximam motūs, *per se, non per accidens, elementorum, ipsam formam, principium intrinsecum activum afferere nulli dubitamus, ob rationes seqq.* (1) *Nam quæ naturā constant, ea omnia insitum motus & quietis principium continent.* 2. *Phyf. Arist. c. 1. sent. 2.* Atq; simplicia corpora, ut terra, ignis, aër & aqua

naturā constant, *text. 1. ejusdem cap. E.* (2.) Effectus actū existens, præsertim cuius totum esse in fieri est, qualis motus, requirit causam actū existentem, *2. Phys. c. 3. text. 37.* (3) patet id per inductionem exemplorum; nam reliquorum corporum naturalium actiones naturales omnes proveniunt à formā intrinsecā. *E.* 4. Finem hujus motus naturalis, præter principalem, qui est gloria DEI, esse constat partim universi constitutionem, partim propriam elementorum ab externis injuriis, in loco à natura destinato, conservacionem. XIX.

*II. Figurae.* 1. Hanc sibi vendicare elementa una cum aliis corporibus, documento est ipsa quantitas determinata, quā omne corpus naturale constare necesse est, ut cōpus infinitum, à quo natura abhorret, evitetur. 2. Dicendum tamen illa stabilem & fixam aliquam figuram non habere, *Arist. 3. de cælo c. 8.* Idq; propter constitutionem mixtorum, quæ ingrediuntur. Quare apta sunt à suo continenti variè figurari, ut manifestum est per experientiam de partibus eorundem, idem quoq; judicium de toto ferendum, cum sint homogenea corpora, ut superius insinuatum. Sibi verò relictā, naturā sua rotundam figuram obtinere aut ad rotunditatem tendere sive inclinare, ob eandem rationem. XX.

*III. Impuritas.* De qua notandum venit, 1. illam propriè & accuratè loquendo secundum morem Philosophicum, non esse proprietatem aliquam elementorum, sed poti⁹ puritatē: quia omnis proprietas emanat ab ipsa essentia, cuius est propria, & cōvertitur cum *ESS*, cuius est. *Conimb. in Dial. Aristot. sup. Isagog. Porphyr. c. 5. art 3. p. 276. § 277. c. 6. ad finem.* XXI.

2. Elementa si considerantur (1) in purā sua *Essentia*, prout hæc *Abstractè* concipiuntur, pura dicuntur: habentque su-

suam puram naturam, quatenus materia & forma constat,  
quæ ipsis convenit. (2) Comparatè & in respectu ad mista,  
pura sunt,

XXII.

3. Impura v. dicuntur ratione certarum quarundam conditionum, corporum, effluviorum & qualitatum extranearum, quibus afficiuntur & conjunguntur. Itaque extrema puriora sunt, quam media. Senn. S.N.l. 2. cap. 3. de element. Quia extrema illa sunt libera & non tam vicina extraneis qualitatibus. Ob eandem rationem (*sine tamen prejudicio aliorum*) idem statuimus in specie de abditioribus terræ partibus in centro ejusdem existentibus.

IV. *Locus* elementorum indigitandus<sup>4</sup>. Hunc quilibet pro sua natura peculiarem, certum & sibi aptum, sub Lunæ concavo in sublunari hac regione vendicat. Sunt n. partes Universi integrantes, ideoque certa mundi loca occupare inquit; iis consistere debent ad absolventiam totius hujus Universi machinam.

XXIV.

Ubi gravia & levia licet existant, nullum tamen ibi pulsum edunt, nec gravitant (*ut loquuntur*) nec levitant, sed in propriis suis spaciis quiescunt: quia perfectionem, ad quam tendunt, in locis iisdem accipiunt. Senn: in E.S.N.l. 2. c. 3. de element. ex Philosophi lib. 4. de cœlo cap. 3. text. 22. De hac affectione, ut & impuritate elementorum, in speciali corundem consideratione circa singula seorsim pluribus id est commodius dicendi poterit esse locus.

XXV.

V. Numerus. De numero elementorum non unam (*ut constat*) fovere sententiam Philosophi tantum veteres, quorum assertiones & placita ab Aristot. lib. 1. de cœlo c. 5. & 6. lib. 3. de cœlo c. 4. refutata inveniuntur; verum etiam nonnullis Philosophorum nostri seculi diversæ extitere sententiae.

## XXVI.

*Quaternarium eorundem numerum, contra quosdam ternarium defendantes; ut & Timplerum in Apsychol. lib. 3. de elem. c. 2. probl. 1. pag. 242, binarium statuentem, tali discur-su astruemus: Quot elementa concurrunt ad constitutionem mixti, tot sunt elementa. Sed quatuor concurrunt ad constitutionem mixti. E. quatuor sunt. Minor prob. quia quatuor in mistis deprehenduntur elementa, cum quatuor in naturalibus sint temperamenta, elementis respondentia. Igneum sive cholericum; aëreum, sive sanguineum; aqueum & phlegmaticum; terreum quod & Melancholicum vocatur. Quod etiam ex naturalium quatuor humoribus primariis (ut sunt pituita, bilis atra, bilis flava & sanguis) colligere licet. Imò ipsi sensus, quot elementa sunt, facile monstrant. Aquam enim terram, item què aërem amplissimum istud spacium super globum terrenum explentem percipimus; nec ignis vis ignota est. E. quatuor sunt elementa non plura, nec pauciora. Plures rationes pro quaternario Elementorum numero stabiliendo, apud Authors passim legi possunt, quas brevitatis ergo ex industria omittere placuit.*

## XXVII.

Proprietatibus elementorum ipsam transmutacionem illorum substantialem annumerari receptissimum est Peripateticorum dogma, sicuti constat ex Aristotelicæ sententiæ interpretum & propugnatorum placitis & assertiōnibus; Toleti lib. 2. de gener. & corrupt. c. 4. citante Sperlingio instit. Phys. lib. 4. q. 3. p. m. 591. Conimbricens. in Arist. lib. gener. & corr. c. 4. Et aliorum, qui operose & prolixè ipsius Philosophi opinionem defendendam suscepere.

## XXVIII.

Omissis illorum rationibus, quibus pro opinione illa defendendâ utuntur, contrariam sententiam, quæ trans-

mutationem negat, veritati magis consonam, cum Neoteris quibusdam amplectendam suadent rationes non nullæ, quas ob chartæ angustiam apponere haud consultum duximus, contenti hoc discursus genere, cum easdem apud authores invenire liceat.

## XXIX.

Talis elementorum transmutationis substantialis<sup>\*</sup> (*ut vulgo explicant*) nullum in circulo naturæ licet comprehendere usum; cum Deus & natura nihil faciant frustra, teste vel ipso Philosopho l. 1. de cœl. c. 4. t. 33. Neq; competit elementis aut absolute a. respectivè consideratis, quia sat militat ratio mistionis & resolutionis mistorum, absq; mutua illa & partiali elementorum transmutatione; cum illa sit elementorum non commutatio, sed *unio*; *hac co-rundem* in mistis quoad substantiam existentium separatio, quæ fieri nequirit, si elementa essent transmutata. Quare transmutationem essentialiem pro affectione elementorum non agnoscimus<sup>†</sup>. De qualitatibus primis sive alteratricibus, ob maximum earundem in missione usum, in respectivâ elementorum consideratione, ut *sensus de motri- cibus, in speciali eorundem tractatione circa elementa in specie agendum.*

